



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

VI. De energumenis baptizatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

8 INNOCENTII PAPÆ I.

ipsum festiuissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

V.

^c De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, ^d cum omnes Ecclesiarum nostrarum intra ciuitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non iudicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia ^e nec longe portanda sunt sacramenta: nec nos per cœmeteria diuersa constitutis presbyteris destinamus, * & presbyteri ^{* vt &} eorum confiendorum ius habeant atque licentiam. ^{al. sed}

VI.

De his vero baptizatis, qui postea a dæmonio, vitio aliquo aut peccato interueniente, corripiuntur, quæsiuit dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant confignari: quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei vel a presbytero, vel a ceteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad Episcopum deducatur, cum, si talis casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Episcopum, nec referri ad sua facile possit?

VII.

De confec.
dist. 3. De
poenitenti-
bus vero.

De poenitentibus vero, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus poenitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiarum consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac cum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

VIII.